



DE RHETORICÆ  
 ECCLESIASTICÆ UTILI-  
 tate; deque authoris instituto,  
 Præfatio ad pium & candi-  
 dum Lectorem,



**O**RATORIS ecclesiastici munere nullum est in humanis rebus dignius, præstantius nullum; cum scilicet nõ ex corrupto vulgi sensu, sed ex seipso æstimatur & natura sua. Etenim si vocationem eius spectes, omnium maximè diuina est; quàm qui accepit, legatione pro Christo fungitur, & in terris representat personam Dei, quem ipsum sua voce docentem huius vitæ imbecillitas audire non sustinet. Sin finem cogitemus muneris, rectâ ad salutem ducit, & visum ita Deo est, hac ministerii ordinaria voce ac via electos suos ad vitam colligere; reliquos reddere inexcusabiles si perdantur, cum in ministrorum voce Dei ipsius vocem despectui habuerint. Sin porro  
 ad eos